

PETRI BEMBI DE AETNA AD  
ANGELVM CHABRIELEM  
LIBER.

*A*ctum a nobis pueris est, & quidem sedulo Angele; quod meminisse te certo scio; ut fructus studiorum nostrorum, quos ferebat illa ætas non tam maturos, quam uberes, semper tibi aliquos promeremus, nam siue dolebas aliquid, siue gaudebas, quæ duo sunt tenerorum animorum maxime propria affectiones; continuo habebas aliquid a me, quod legeres, uel gratulationis, uel consolationis; imbecillum tu quidem illud & tenue; sicuti nascentia omnia & incipientia; sed tamen quod esset satis amplum futurum argumentum amoris summi erga te mei. Verum postea, quam annis crescentibus & iudicium & studia creuerunt, nosq; totos tradidimus græcis magistris erudiendos; remissores paulatim facti sumus ad scribendum, ac iam etiam minus quotidie audentiores. Ita q; quas pueri miserimus ad te lucubrationes nostras, numerare aliquas possumus; quas adolescentes, non possumus: quo in consilio nobis diutius permanendum esse non puto. nam ut interdum non loqui moderati hominis est; sic semper tacere cum eo, quem diligas, perignauit. neq; hercule; si in officio permansimus in prima ætate; debemus nunc, tanquam inexercitati histriones, in secundo aut tertio actu defecisse: praesertim cum æmulatio tuorum nos studiorum Angele non excitare modo languentes possit, sed plane etiam incendere: quippe, qui multa & præclara habuimus

uiris; quorum tamen in numero me non pono; minus serijs  
 adesse interdum rebus, et lusus captare non adeo seucros;  
 modo ne remiges audiant; hoc est, ne sensus pateant uolu-  
 ptatibus; quibus et demulcentur ipsi semper; et, nisi ratio  
 ne occlusi sint, saepe etiam facillime capiuntur: quod tibi esse  
 faciundum in uita maxime semper censeo Bembe fili: nam  
 nisi te ita informaris, ut uoluptatum illecebris animam imper-  
 uium geras; non possum dicere, quam multae tibi occurrerent spe-  
 cies earum; quae te non adulescentem modo, ut es nunc, demul-  
 cere possint et declinare, ac iam etiam debellare et deuincere;  
 sed plane etiam uirum. Itaque illis aut magnanimiter im-  
 perandum est; quod fecerunt uiri omnes magni, et boni, et ij,  
 quos propterea deos etiam appellauerunt; uel omnino tur-  
 piter deseruendum: in quo quidem tu si me audies, non com-  
 mites; ut reiecta continentia atque ipso amore uirtutis ex  
 illorum sis grege, de quibus plæclare Oratius,  
**N**os numerus sumus, et fruges consumere nati,  
 Sponsi Penelopes nebulones, Alcinoique,  
 In cute curanda plus æquo operata iuuentus;  
 Quis pulchrum fuit in medios dormire dies, et  
 Ad strepitum citharæ cessantum ducere curam.  
 Sed quoniam inclinata iam est dies, procedamus in atrium:  
 nugæ autem pastorales istæ tuæ sub umbris sunt potius et  
 inter arbores; quam intra penates recensendæ. Quæ cū  
 dixisset, et iam in atrium peruenissemus, ego finem lo-  
 quendi feci; ille cogitabundus in bibliothecam perrexit.

Venetis per Io. Ant. eiusq; Fratres de Sabio.

Anno Domini. M D X X X.